DE GLOSSITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM CONSENSU ET...

Ignatz Inlander

DE
Glossitide

Dissertatio Inauguralis

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE ILLUSTRISSIMI, SAPIENTISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI RECTORIS, PERILLUSTRIS FACULTATIS MEDICAE DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE
D.RE C. A. RIGONI
PHYSIOLOGIAE ET ANATOMIAE SUBLIMIS
PROFESSORE ORDINARIO

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS
Mense Januarii MDCCCXXXVIII.
PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

IGNATIUS [illegible]

GALLICIANUS BRODENSIS

TICINI REGII
Ex Typis Fusi et Soch.
MDCCCXXXVIII.

Meinem

Theueren Vater

aus

innigster Liebe und Dankbarkeit

gewidmet

vom Verfasser.

GLOSSITIDIS

NOTIONES HISTORICAE.

Penes antiquos Medicinae Scriptores vix de glossitide aliquam invenimus mentionem. Quasi ex inde inferendum tunc temporis morbum hunc tam raro obviam medicis fuisse ut plerique eorum ipsum observandi opportunitatem nunquam habuerint. Tamen negari non potest Hippocratem morbum quandoque aspexisse, tamquam faucium cynanches secundarium — Galenus quidem glossitidem interdum observavit, et casus varios refert, unde concludere fas est, ipsum et morbum sub formis diversis certe vidisse et methodis etiam differentibus sanari expertum esse — Vogelius omnium primus morbum inter phlegmatias recte collocavit, quem Glossiten vocat, bisque a se visam et curatam narrat. Sed ante

cum de linguae inflammatione variisque ejus tumoribus mentionem fecerunt complures alii nominatim Sennertus et Riverius, quorum posterior peculiare de ea caput conscripsit — Postea locum eidem satis distinctum inter ceteras affectiones designarunt auctores uti Burserius Frank Richter etc. Sed non solum causis peculiaribus inducta, idest sporadicam medici hanc affectionem observandi opportunitatem habuerunt, sed quandoque epidemice per populum grassari visa est. Talem testantur se vidisse Reil Magdeburgi, Schmuk Edelbergae.

Inflammatio linguae, organi gustui, deglutitioni et loquelae dicati, glossitis dicitur. Haec inflammatio non semper eandem exhibet formam, neque ubique iisdem notatur characteribus neque in eosdem exitus ubique inclinat. Quandoque limites phlogoseos catarrhosae non transgrediens tunicam linguae mucosam non excedit: tunc nisi resolutio obtineat, ad summum in aphtosam abit ulcerationem, quae tamen pro momentorum causalium natura indolem etiam malignam, nempe gangraenosam inducere et aegrotantem in discrimen vitae, vel ad orci fauces quoque, traducere valet. Alias sub forma glossanthracis inflammatio erumpit, plerumque contactu virus alicujus inducta, vel metastasi orijunda;

atque in hujusmodi casu morbus non raro ad tale advehitur fastigium, ut paucis diebus aegrum e medio tollat. Alias hujus morbi sedes est ipsa substantia muscularis linguae, quae causis communioribus producta in terminationes formae istius proprias vergit, prout momenta causalia, cura, vitae genus et circumstantiae aliae multiplices alterutri ipsarum favent.

HYPOTYPOSIS

Symptomata, quae morbi invasionem praenuntiant, aut stadia insequentia stipant, non eadem ratione in singulis casibus conjuncta inveniuntur, nec ipsam offerunt semper intensitatem, nec eodem ordine alterum alteri succedit. Saepe differunt enim, vel diversas subeunt modificationes pro temperamento, aetate, sexu, causa adfectionis, et prout inflammatio vel totum, vel partem aliquam dicti organi corripit, prout mitis vel gravis suum absolvat cyclum.

Vehementi linguae inflammationi generatim praecedit sensus frigoris et horror, quem sequitur calor universus urens cum siti insatiabili, cephalea, et pulsus frequentes et accelerati. Lingua dolet, et dolor levissimo etiam contactu exasperatur. Color est varius,

generatim intense ruber, lingua evadit dura, tumet nec amplius in cavo oris retineri potest, quapropter os plus minusque apertum continuo manet. Hinc linguam densa obtegit crusta; tussis excitatur molesta titillatione faucium et necessitate expectorandi producta et sustenta, quandoque de doloribus pungentibus aurium aeger conqueritur. Os difficulter nec sine dolore aperitur. motus linguae quae magis magisque tumet impossibiles redduntur. Loquelae et deglutitionis difficultas mox oritur, imo paulatim tanta fit ut utraque facultas aboleatur. Respiratio quoque anxia fit et salivatio ob impeditam humoris deglutitionem et irritationem glandularum sympathicam his symptomatibus se se adsociat. Interim facies et oculi tument, atque rubent, carotides vehementer pulsant, et venae jugulares undulatorio quasi motu constitutae conspiciuntur, pulsus sunt duri accelerati, urina flammea et sedimentum rubrum largitur. Intra hos limites symptomata versantur, si inflammatio nec ultra progreditur, nec totam linguae substantiam occupat.

Morbo ad summum evecto fastigium symptomata omnia ingravescunt. Tunc enim lingua adeo tumet ut laryngem pharyngem atque tonsillas comprimens, istmum faucium angustans non solum deglutitioni pror-

sus obstet, sed aditum aëris externi ad organa respiratoria impediens, suffocationis periculum inducat. Hinc facies magis magisque turget et livescit; oculi saepius prominentes, suffusi, ruberrimi sunt, alias e contra tristes et languidi sunt: lingua in cavo oris comprehendi amplius non potest, et ideo extrorsum plus minus protenditur. Tumor ejusdem quandoque adeo augetur, ut maxilla inferiori, quantum fieri potest, depressa, et ore maxime patefacto, adhuc superioris et inferioris maxillae dentes in substantiam linguae protensae sese infigant, et prorsus abscondant. Labia, expansa, cinguli ad instar obducunt et restringunt tumentem linguam, quae livida et sicca est, et adspectum horribilem praebet. Aeger decumbere nequit, ast lecto insidet continua agrypnia vexatur, summopere inquietus, exagitatus, et in periculo suffocationis versatur. His accedunt sudores capitis profusi, deliria, sopor proxima mortis indicia.

AETIOLOGIA ET NOSOGENIA.

Glossitidis causae, pariter ac illae caterarum inflammationum, distinguuntur in disponentes et excitantes seu procatarticas. Priores sunt temperamentum sanguineum, aetas juvenilis,

habitus corporis gracilis. Posterioribus accensentur abusus potuum spirituosorum et cibi nimis calefacientis. Reil memorat hominem glossitide affectum ex eo, quod potibus calidissimis utebatur. Vulnera, punctura et morsus insectorum ipsam producere valent. Forestus exempla refert glossitidis ex calculis in textu linguae efformatis. Usus causticorum, ad ulcera linguae sananda, ejusdem inflammationem quandoque genuit. Menstruorum atque profluvii haemorrhoidalis suppressio, uti recensentur inter causas ceterarum inflammationum, sic glossitidem quoque producit. Violenta frenuli linguae laceratio glossitidem producere valet. Abusus mercurii, eidem morbo scaturiginem praebet. Praeparata hujus metalli processum vitalem faucium et glandularum tam exaltant ut posita linguae speciali dispositione, ipsa inflammatione facile corripiatur. Reil et Vogel exempla huiusmodi glossitidis adducunt. Praeterea lingua masticatione, vel simplici contactu materiae venenosae, vel acris, vel corrosivae irritari et inflammatio plus minus gravis ex inde oriri potest. Sic Richter exemplum adducit glossitidis exortae ex masticatione foliorum nicotianae ad dolores dentium sedandos. Notabiles ac rapidae mutationes atmosphaericae, subitum praecipue refrigerium, in causa glossitidis

esse possunt. Reil exinde morbum epidemice grassari observavit. Similem quandoque effectum induxerunt balnea frigida. Tandem hisce omnibus adjungere apartet, morbum eundem vel comitari, vel sequi interdum alias adfectiones, et praesertim phlogoses partium quarundam organismi, exanthemata, rheumatismum etc. Dum cynanche epidemice grassatur, tunc potissimum casus glossitidis non rare observantur. Reapse ex hoc fonte Hippocrates morbum derivabat, et Frank eidem accessit opinioni.

Si perpendimus tanta et tam gr[illegible] ia esse momenta glossitidem provocantia, merito exoritur quaestio: undenam pendet, quod istiusmodi adfectio tam raro obtineat? Cujus rei causa, in frequentiori stimulantium actione cui lingua qua organon gustus continuo exposita est, et inde exorta immunita receptivitate quaerenda sit, verisimile videtur.

DECURSUS

Glossitidis typus ceterarum inflammationum ad instar continuus est, febris tamen, paucis horis quotidie remittit, et inde exasperatur. Quarta die lingua ordinario obtegitur coagulo mucoso, et sexta diaphoresis generalis obtinet, urina leve sedimentum ponit,

deinde symptomata gradatim imminuuntur et evanescunt. Spatio paucorum dierum lingua pristinam suam mollitiem recuperat, et aeger sanitati restituitur. Ast si resolutio sat cito non obtinet, ne morbus in suppurationem abeat jure timendum est. Febris tunc intensior fit propter impossibilitatem, in qua aeger versatur potus alicujus sumendi, impeditus simul alimentorum nec non medicaminum transitus, et sitis et fames inde exorta multum conferunt ad symptomatum augmentum et exacerbationem.

Auctores sunt, qui affirmant, se glossitidem remittentem et etiam intermittentem observasse. *Claudinus* in casu puellae, quae glossitidem perpessa est ob violentam frenuli lacerationem, certos nos facit, tumorem linguae gradatim augeri a momento, quo aegra surgebat e lecto, dum contra, tempore somni lingua in volumen naturale quasi restituebatur. De remissione symptomatum phlogoseos sane medici dubitare non possunt; et cynanches, arthritides, pneumonitides nec non aliae topicae inflammationes hujusce veritatis certas quotidie praebent rationes. Sed de phlogosi ex vero intermittente nunc practici minime conveniunt, ,et typi istiusmodi possibilitas argumentis solidis refutatur. Quies linguae tempore somni, et ejusdem motus iterati de

dis rationem dicti phaenomeni sufficientem reddere valent.

Dinturnitas glossitidis, prout inflammatio totam occupat linguam, vel ad partem tantum hujus organi restringitur, pro diverso vehementiae gradu et pro diversitate causarum excitantium, jam plus jam minus extenditur. Ubi in resolutionem tendit frequenter subsidet et evanescit intra unum, duos, quinque, octo aut decem dies; terminus iste multo longior evadit, quando in suppurationem, in scirrhum aut in exitum funestum alterum vergit. Van-Swieten observavit glossitidem spatio vigenti quatuor horarum cyclum suum absolvisse.

TERMINATIONES.

Glossitis quidem admittit omnes terminationes, quae inflammationi in genere sunt propriae. Saepius terminatur in resolutionem, quandoque in suppurationem vergit, perraro gangraenum, scirrhum, carcinoma inducit.

Terminatio glossitidis per resolutionem, ceterarum faustissima, innotescit sub die quinta vel septima, vel multo prius imminutione doloris, ruboris, caloris, atque intumescentiae sensim progrediente; lingua, antea sicca, humida evadit, major salivae densioris viscosae

copia ex ore fluit; symptomata febrilia sensim evanescunt post sudores generales, vel fluxum urinae criticae, sedimento rubro vel subrubro designatae.

Glossitidis terminatio in suppurationem morbum indefinite protrahit, ita ut praecisa ipsius diuturnitas tunc constitui non possit. Monent auctores, ut accurate distinguatur terminatio glossitidis idiopathicae in suppurationem a colluvie puris, quae locum habet in substantia linguae ipsius, et nihil aliud est nisi effectus cujusdam motus critici aut symptomatici in typhi, pestis, variolae etc. Utcunque autem sit, abscessus semper considerandus uti exitus phlogoseos praegressae, non autem qua simplex colluvies puris ex altera parte in textum linguae evecti. Morbus enim, etiamsi non primarius, sed modo secundarius, aut non plus quam morbi alterius epiphaenomenon, tamen glossitis est, quae ob naturam causae unde oritur, et ob conditiones processus vitalis totius organismi cui originem suam debet eo facilius in infaustam terminationem vergit.

Symptomatum pertinacia, dolor pulsans, tumor mirum in modum adaugens, fluctuatio obscura, exacerbationes febriles manifestae cum remissionibus alternantes talem indicant morbi exitum.

Terminatio glossitidis in grangraenam raro contingit, et plerumque locum habet, in individuis jam debilioribus ob praegressas febres nervosas, typhum etc. et praesertim si labe aliqua specifica, seu peculiari discrasia inficiuntur. Casus refertur phlogoseos apicis linguae, quae paucis diebus in sphacelum terminata est. Die tertia cum para mortua secessisset, profusa obtinuit haemorrhagia, quae aegrum de vita eripuit.

Penes auctores exstant casus etiam glossitidis in pertinacem duritiem, vel in scirrhum degeneratae.

PROGNOSIS

Prognosis differt pro gravitate symptomatum, phlogoseos extensione et absentia aut praesentia complicationum. Resolutio, quae medico innotescit roboris, caloris, doloris, intumescentiae, et febris imminutione, terminatio ceterarum faustissima et maxime frequens glossitidis jure habetur. Quandoque tamen cursum anomalum, insidiis plenum morbus ostendit, et sub specie mitis adfectionis ex improviso gravis et periculosus fit. Lingua, quae ab initio leviter inflammata videtur, brevi ad volumen enorme pervenit et suffocationem minatur. Alias proxima jam creditur

morbi resolutio perfecta, et de repente hic denuo inerescit. — Suppuratio ad sequelas quidem infaustissimas generatim non ducit. Sub ejusdem enim principio phlogosis jam plus minusque subsidet, et periculum suffocationis inde necessario imminuitur, partim et ideo quia linguae structura non permittit, suppurationem damna gravissima et late inferre. — Idem de gangraena dicere non licet, quae magnos semper mentit timores, partem quamcumque occupet. Jactura substantiae organi loquelae et deglutitioni dicati sequelas eo magis funestas secum affert, quo major est pars sphacelo correpta, aut vita orbata. Nam facile induelt loquelae impossibilitatem et obstacula masticationis et deglutitionis. Prognosticum glossitidis sympromaticae generatim faustum instituitur: tunc lingua videtur pars quam natura seligit ad morbum primarium omnino ibidem oppugnandum. Haec naturae intentio satis clare innotescit in casibus glossitidis, quae febribus nervosis, typho variolae et exanthematibus aliis interdum succedit. Tunc prognosticum glossitidis cum illo morbi primarii conjungendum est. In casibus gravissimis summa spirandi difficultas asphyxia et suffocationis periculum, sopor et delirium encephalitidem secundariam adnuntiant. Quandoque tam vehemens est ut aegrum tertia, quinta vel septima die de vita auferat.

CURA

Glossitidis altioris gradus, tam ob dignitatem organi adfecti, tam ob retardatum sanguinis venosi ex capite refluxum, et impeditam respirationem tot tantisque stipatur periculis, ut ipsius sanatio si haud impossibilis esse, saltem rarissime contingere videatur. Historias tamen diversarum linguae inflammationum a medicis diversis editas in mentem revocanti liquet, omnes fere prospere et saepius a die quinta ad septimam cessasse; quin imo ipsum exitum in gangraenam quandoque mortem non intulisse. Cura glossitidis non differt ab illa quae contra inflammationes phlegmonosas in genere, et praesertim in cynanche adhibetur. Nonnullas tamen modificationes in casibus diversis reposcit pro differenti origine, pro natura caussarum occasionalium et varia individuorum constitutione.

In casu glossitidis idiopathicae remedia antiphlogistica citissime in usum vocanda sunt, cum de morbo semper gravi et decursu acutissimo agatur. Praecipuum, quo medicus uti debet remedium est phlaebotomia. In processu enim inflammatorio augetur haematopoesis et calor, actio vitalis exaltatur et sanguis magis plasticus et stimulans fit. Quare

detractio sanguinis et loco adfecto et universo organismo extemplo emolumentum praebet, quod remedia alia antiphlogistica praestare nullatenus valent. Eodem scopo conveniunt hyrudines vel partibus vicinis vel ipsi organo adfecto adplicatae. Frank, Reil Vogel aliique harum adplicationem sub angulis inferioris maxillae et mento laudibus extollunt; alii e contra summa cum utilitate ipsi parti adfectae illas adplicabant. Post intervallum horarum sex evacuationes sanguinis universales aut topicae sunt repetendae, donec dolor et intumescentia imminuantur. Scopo derivante commendantur cucurbitae cruentae ad humeros et nucham institutae. Aliqui venas raninas aperire malunt. Persaepe optatum emolumentum methodus haec aegrotantibus adtulit; sed quandoque hoc fieri non potest ob enormem organi adfecti intumescentiam. Denique sunt auctores qui sanguinem directe ab inflammata linguae substantia detrahere suadent, scarificationum profundarum ope plus minus numerosarum; summa tamen cum cautione ne arteria ranina cultro laedatur. Nil novi praesefert haec operatio, cum jam Coelius Aurelianus ad ipsam confugiebat in glossitide et cynanche pharyngea enata. De La Molle testatur, se optimos effectus per has scarificationes in glossitide gravissima suffocatio-

nem jam jam minitante pluries obtinuisse. Ita Reil et alii eodem auxilio summo cum aegrotantium emolumento usi sunt, postquam alia remedia incassum adhibita fuerunt. Breschet et Finot monent ut scarificationes fiant praesertim iis in casibus ubi lingua adeo tumet, ut simul laryngem, pharyngem, fauces angustet, et compressione in venas jugulares et vasa vicina difficilem reddit sanguinis refluxum, et encephalitidi, apoplexiae, aliisque affectionibus aeque gravissimis originem praebere potest. Huffeland usum scarificationum vix suadet, quia affectionem interdum exasperare et malas sequelas inducere valent, quae phlebotomia, et topicis sanguinis evacuationibus per hyrudines collo aut sub mento admotas certe evitantur. Neque tamen desunt exempla glossitidum summo periculo minantium in quibus scarificationes optimo cum effectu adhibitae fuerunt, uti ex historia glossitidis in ephemeridibus Huffelandi inserta elucet; foemina cynanche faucium fere reconvalescens, circa meridiem, percepit se aliquam pati difficultatem loquelae et deglutitionis, vespere hae functiones nonnisi cum magno linguae cruciatu peragebantur; dolori, et motuum difficultati accessit linguae intumescentia, quae paucis horis adeo increvit, ut circa dimidium noctis aegra jam in discrimine vitae

versata sit. Medicus in auxilium vocatus, linguam turgidam invenit, ex ore quam maxime dilatato protusam, magnitudinem pugni aequantem, quam labia cinguli ad instar restringebant. Tumor respirationem fere supprimebat, ita ut suffocatio inevitabilis videretur. Medicus summum vitae discrimen animadvertens, nullum alterum praesidium subito instituti linguae scarificationibus anteponendum esse censuit. Quare ope lanceolae statim quatuor vel quinque incisiones sat profundas in utroque linguae tumescentis latere, extra cavum oris protusae instituit, unde sanguis una cum humore quodam decolorato copiose fluere incepit. Intra horam unciae circiter viginti mixtionis hujus ex inflictis vulneribus defluxerant; et intumescentia multum imminuta est, respiratio facilior et aegra minus agitata videbatur. Sequente die lingua jam intra oris cavum recesserat; aegra libere et tranquille decumbere et obscure loqui valebat. Fluxus humoris ex locis incisis penitus cessavit; remedium purgans porrectum fuit, et vespere ejusdem diei omnia inflammationis linguae symptomata prorsus evanuerant.

Praeter sanguinis evacuationes adhibenda sunt eccoprotica, purgantia mitiora, si nempe deglutitio non penitus impedita est, degluti-

tione autem impedita clysmata purgantia in usum trabenda sunt. Collo cataplasmata admoveantur emollientia et vapores emollientes in cavum oris deducantur.

Quod famem sitimque attinet, quibus plerumque aegri exeruciantur, praesertim sub impedita deglutitione altioris gradus, his consulendum erit vel per clysteres nutrientes e lacte, jusculis, decoctis mucilaginosis, vel substantias has per nares, ope fistulae gummi elastica confectae, in pharyngem et aesophagem derivando. Quae operatio pluries de die repetenda erit. Sitis mitigari potest humectatione labiorum et linguae ope spongiae humore aliquo subdulci imbutae, et illinitionibus olei amygdalarum dulcium pro necessitate iterandis.

Ubi autem remedia adducta nullum adferant levamen, ita ut apopleaia vel suffocatio immineat; quod stertore, facie livida, pulsibus irregularibus, intermittentibus vermicularibus dignoscitur; tunc sine mora laryngotomia instituenda erit, ut accessus aëris pulmonibus concedatur.

Natura causarum, unde glossitis originem duxit, aliquas curae modificationes sibi expostulat. Glossitis e. g. ex usu et abusu hydrargyri oppugnatur remediis, quae utilem derivationem efficere valent: sic clysteres,

purgantia prae ceteris auxiliis administranda et pro necessitate repetenda sunt. Glossitis a substantia venenosa, a morsu insectorum etc. auxiliis superius adductis generatim tollitur. Huic scopo, praeter evacuationes sanguinis topicas propinantur etiam refrigerantia, lotiones ammoniacales vel oppiata pro rerum circumstantiis. — Corpora peregrina linguae infixa, citissime idoneis instrumentis removenda sunt. — In casu glossitidis a rheumate aut artritide exorta, commendantur praeter auxilia communiora balnea cum sinape, frictiones siccae in plantis pedum et remedia omnia quae morbum ad pristinam sedem revocare possunt. — Dentes inaequales, asperi, quando in causa glossitidis sunt, cito evellantur, vel instrumentorum congruorum ope aequabiles et leves fiant. — Glossitis, quae variolam, scarlatinam, aphtas, typhum et morbos alios excipit, debitas curae modificationes sibi expostulat pro diuturnitate morbi praegressi, pro statu virium vitalium, pro natura et gravitate symptomatum, quibus stipatur.

Si morbus in suppurationem adeo inclinat, ut adhibitis etiam idoneis remediis suppurationem praecaventibus tamen in suppurationem abeat; huic suppurationi faveamus necessarium est. Huic scopo respondent cata-

plasmata emollientia collo admota, et vapores emollientes ad cavum oris ducti. — Abscessus jam efformatus tempestive, congruo instrumento et circumspectione necessaria ne partes viciniae laedantur aperiri debet, levibusque pressionibus defluxus puris sustineri oportet. — Tum colutoria leniter adstringentia ad perfectam usque cicatrisationem continuanda sunt.

Durities linguae, dummodo cum glossitide chronica non confundatur, balneis topicis calidis, remediis solventibus, antimonialibus, mercurialibus, extracto cicutae etc. diu administratis debellenda est. Scirhus et cancer remediis omnibus resistunt. Spes unica posita est in amputatione, vel totius, vel partis tantum organi adfecti.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Tussim convulsivam neque simplicem catharrum neque meram neurosim.

II.

Medicum eclecticum esse oportere.

III.

Veram sanguinis putredinem non dari

IV

Contagiorum diffusionem, generationis theoria haud plane explicari.

V.

Solos pulsus, infirmum adminiculum diagnosticum.

VI.

Vitam vitae inimicam

VII.

Dolorem naturae donum

VIII.

Morbos psychicos endemicos dari.